

Universitätsbibliothek Paderborn

**R. P. || Lvdovici || De Ponte Vallis-||Oletani, È Societate ||
Jesv Theologi.|| De || Christiani hominis || Perfectione In
Qvo-||libet eius Vitæ genere.|| Tomi Qvatvor.||**

Quorum argumenta ex S. Rvth Historia præcipue desumpta

Puente, Luis de la

Coloniæ Agrippinæ, 1626

Cap. XV. Perfectio Religiosorum in Oratione mentali, & studium
recollectionis cordis in omnibus exercitijs spiritualibus

[urn:nbn:de:hbz:466:1-45802](#)

spirituale animarum suarum bonum conseruandum; & præcipue diebus festis: in quibus studiosius tradere se debent exercitijs devotionis, occupatis temporalibus oneribus, quæ non sunt præcisè necessariae. Omnia enim tempus proprium habent. Et bonus Religiosus aliquo tempore debet se ostendere laboris amicum; alio verò studiosum recollectionis. Quod si uader Hugo de Sancto Victore, dicens: quòd magis decens videtur quies in diebus festis; ed magis laudanda est occupatio in ceteris per hebdomadam dieb. Ita ut qui in diebus festis non amat quietem, indicium det suæ levitatis, sicut qui alijs diebus non amplectuntur occupationes, dat indicium ignaviae sui, ac corporis. Levitas enim in causa est, cur carnales nunquam querant sanctam quietem: & ignavia efficit, ut nunquam amplectantur bonam occupationem. Quamobrem studiosè distinguenda sunt tempora: ut enim opus paruum nunquam est laudabile; ita bonum opus extra tempus factum, est vituperandum. Decens itaque erit ut huiusmodi Religiosi diebus profectis maneat in suis officinis, festis verò, quando sunt ab occupationibus liberi, sint frequentes in templo, glorificantes Deum, ob accepta ab eo beneficia simul cum reliquis, qui ex officio sunt ad templum frequentandum dedicati.

CAPUT XV.

PERECTIO RELIGIOSORVM IN ORATIONE mentali,
studium Recollectionis cordis in omnibus exerci-
tiis spiritualibus.



Cap. I.

Lib. i. de orando Deū.

VI SORTEM ET PARTEM MARIAE IN RELIGIONE sequuntur: duplice via pergere solent iuxta duos modos Orationis, mentalis scilicet ac vocalis. Aliqui enim vel ei Regulæ Instituto, vel ex Dei speciali vocatione aliquot horas expendunt in oratione mentali: quæ complectunt meditationem & contemplationem Diuinorum mysteriorum, rerumque omnium affectus deuotionis excitantium. Quæ oratio adeò est propria Status Religiosi, ed quod sit Diuino obsequio mancipatus: ut Sanctus Ioannes Climachus hunc statum definens dixerit: Monachum esse, qui semper habet spiritum in Deum eleuatum: & orat in omni loco, tempore, & negotio. Oratio enim, teste Sancto Chrysostomo, est anima & spiritus vita Religiosa, ac perfectæ: quæ conferuat, auget, ac perficit Castitatem, Paupertatem & Obedientiam; & mutuam inter omnes coniunctionem, ac reliquas virtutes huius statutus proprias. Et S. Bonaventura

nauentura ait; Religiosum uon frequentantem huiusmodi orationem, gestare animam mortuam in corpore viuente; aut esse tanquam corpus sine anima: habens quod externum est in Religione; absq; eo, quod est internum. Sed quoniam de præstantia orationis mentalis fuisius egimus in tribus alijs nostris libris, id nunc solum adferemus, quod Cardinalis Cajetanus ad hoc propositum ad fert. Is enim in cera Scholasticæ Theologiæ inueniens mel Theologiæ mysticæ, ex vtroque fecit fauum dulcissimum, quem proponit omnibus Religiosis; eosque ad gustandum & in opus deducendum inuitat, hisce verbis: Deuotio (vt S. Thomas ait) duas causas habet intrinsecas: alteram ex parte meditationis & beneficiorum eius; alteram ex parte meditationis priorum defectuum. In prima sunt bonitas, misericordia, charitas, &c. Dei erga hominem, & me; beneficia que Creationis ad imaginem suam. Redemptionis; baptismi, inspirationum, vocationum per se vel alios. expectationis ad penitentiam, Eucharistia, præseruationis a tot periculis animæ & corporis, Angelica custodia, & reliquorum beneficiorum singularium. In secunda sunt defectus culpa & pœna, tam in præterito, quam in præsenti, labilitas ad peccandum, dissipatio propriæ substantiæ, assuefaciendo cogitatus & voluntates & inclinationes aliarum suarum virtutum ad malum, habitatio in regione longinquâ ab amicitia & conuersatione Diuina, peruersitas affectus magis temporalia quam Spiritualia commoda, vel incommoda sentientis; nuditas à virtutibus; vulnera ignorantiae, malitia, infirmitatis, & concupiscentiae, vincula inanuum & pedum, operum scilicet & affectuum, in tenebris, in factotibus & amaritudinibus esse, nec horrere vocem pastoris inferius non agnoscere: & quod omnibus peius est, Deum pro inimico & hostie toties elegi, mortaliter peccando, & propterea tantam eidem iniuriam fecisse, vt pro Deo refutatus sit, factus que noster Deus sit venter, aut pecunia, aut delectatio, &c. Ex huiusmodi namque meditationibus qua quotidianè esse debent Religiosis, & Spiritualibus personis, omisso vocali orationis multiloquo voluntario, deuotio alias que cōsequenter gignuntur virtutes: nec Religiosi, aut Religiosæ, seu Spiritualis etiam nomine vocari possunt, qui saltè semel in die ad huiusmodi non transfert. Quemadmodū nāque effectus absque causa, finis absque medio, insularis portus absque nauigatione haberi nequit: sic nec Religio in actu absque frequentatis actibus suarum causarum, mediorum, ac vehiculorum. Hæc virille doctissimum, in quibus non se minus plium ac deuotum ostendit; quam in alijs locis subtilē & acutum. Docet enim hic Religiosos studijs valde deditos ut cīa quotidie scientia & exercitio orationis ac deuotionis diligenter studeant; nam sine oratione ac deuotione vana esset eorum Religio.

In eundem scopus rendit etiam illa pars orationis, quam dicimus vo-

Нрпп. 3

calein

calem: in qua Religiosi se exercent, dum Canonicas horas persolunt, sine priuatum sicut alijs sacris ordinibus insigniti: sine eas in choro cantantes, sicut Ecclesiastici ad id constituti: a quibus laudabilem hanc confuetudinem acceperunt, tanquam medium suae perfectionis. Eritque talis oratio eis utilissima; si conenter tali spiritu eam exercere, vt etiam ignis deuotionis eos inflammet. Nam (vt S. Bonaventura ait) omnes extremae ceremonia chori, officij diuini, & aliorum sacrorum ministeriorum, nisi cum debita denotione peragantur, sunt quasi murus ex lapidibus absque calce, aut bitumine illos coniungente, consecutus; & tanquam lampades virginum stultarum, non habentes oleum, quo lumen foueat. Arida est omnis Religio, quæ non oleo isto saginatur; instabilis est bonorum operum structura, quæ deuota orationis frequentia non compaginatur: nam, oratione deficiente, facile ruet. Et quicunq; multum intepelcit in huiusmodi exercitio, magno se periculo; expavit deficiendi à sua vocatione. Nam, vt Propheta dixit. & a paries erexit ab aq; temperaturo, quia lapides coniungantur, cirdo casurus est; & b domus facta super arenam cum descendit pluvia, & flant venti, facile cadit.

§. I.

SED QVONIAM de horis Canonicis proprius instituetur tractatus in quarto tomo, ed quod magis propriae sint Ecclesiasticorum: nunc eam tantum cordis recollectionem proponemus, quam adhibere debent Religiosi qui a elegerunt optimam illam partem, & VNVIM illud, quod Maria elegerat: in quod omnes suas intentiones & conatus dirigere debent; renuntiantes, & strenue mortificantes omnem sollicitudinem, turbationem, & effusionem cordis, quæ huic VNI aduentantur. Nam (vt S. Dyopifus ait) eorum vocatio est: VNUM ipsum ambire, & ad sacram monadem cogi. renuntiantes non solum vitæ diuisæ coniugum, sed etiam imaginibus & phantasij cordis, quæ sunt domestici deuotionis hostes; & fures eam deprædantes & è domo sua expellentes. Ipsa enim experientia nos docet, quod etiam sumus in occultissimo loco recollecti, soleat cor nostrum fieri Marthæ simile, sollicitum, turbatum, & in res plurimas effusum. Quemadmodum sit sanctus Iob: b cogitationes meæ dissipata sunt, torquentes cor meum excitantes me à spirituali meæ recollectionis somno. Nec tamen propterea animus tibi abiiciendus est, sed magna vi & fortitudine eas omnes reducere debes ad VNUM, qui est Deus: totam tuam attentionem & intentionem collocans in eo.

EST AUTEM summi momenti, vt semel tibi persuadeas: hanc attentionem valde tibi esse necessariam. Primum propter infinitam Dei Majestatem, in cuius complectu versamur, & cum quo loquimur. Est enim summa incivilitas, cogitate coram Deo, quod pudiceret coram hominibus loqui: aut

cum

spuse desex
in Seraph.a Eccl. 13.1
Mat. 7.26

Lk. 10.39

Eccles. Hist.
Arch. 6.6.

Iob. 17.11

cum Deo loquentem, cum, lemiuerbo prolatu, deserere: & conuertere ad loquendum cum vili mancipio. Quid igitur dices, si aspicias extremam tuam vitalitatem? Hac enim cogit, cosam immensa Dei magnitudine te ipsum contrahere & prostergere, nec est andere, sicut ille Publicanus, oculos ad cælum levare. Quomodo igitur audebis effundere oculos spiritus ad ea quae geruntur in terra? Seraphim velant faciem, & oculos suos in conspectu Dei, ob summam reverentiam, quam ei exhibent: & tu non velabis tuos, ne ad rem aliquam eos conuertas, qua te separat à Deo? d. Elias operuit vultum suum pallio, cum audiuit Dominum venientem. Et non operies tuum, acte recolliges, vi- dens ipsum Dominum esse, cū quo loqueris? Huc accedit dignitas & excellētia ipsius operis: nihil enim est in terra præstantius, quam familiariter cū Deo agere, eum diligere, laudare, & cum illo se vnire. Quare per excellētia vocari potest opus Dei, & oratio Dei: vt propterea deceat eam fieri attentione ac reverentia, qua par est: ne noxia tibi reddatur. siquidem est malitius est, qui facit opus Domini negligenter. Quod si operis excellentię adiungas necessitatē eius, qua tu laboras: hæc te multum impellat ad eam, vt oportet, faciendam. Mendicus enim, qui fame premitur, nec potest utrumnum labore cibum sibi acquirere, nisi mendicando: ipsa necessitate seruens efficitur in mendicando: & qui nouit suas necessitates & pericula spiritualia, exigua etiam vires, & fortitudinem ad ea reparanda: is valde impellitur ad seruenter orandum: ne ipsa oratio, qua in remedium suæ misericordie dirigitur, ei sit in peccatum. Si vita breuitatem respicias, & agoniam, qua orat qui sunt in mortis periculo constituti: hoc etiam permouebit te ad orandum cum spiritu: cū nescias, an hæc sit ultima tua orationis hora. Et quāvis non sit: fatus est magna miseria, non te continere intra te ipsum breui illo tempore, quod accipis ad orandum. Et iure optimo reprehendet te Dominus, & ob- ijet: g. sic non potuisti una hora vigilare mecum? Attende, quam multas horas Christus Dominus noster expendebat in oratione, nec qualicunque, sed in oratione Dei: digna scilicet eo, qui orabat, & cui offerebatur.

E t semel quidem cum tanto seruore iⁿ orauit, vt cum summo suo gaudio fuerit transfiguratus; & iterum k. factus in agonia, prolixius orans, san- guninem sudauerit. Cum igitur id totum factum fuerit in tuum exemplum: ne cum ignavia ac tepiditate facias, quod Salvator tuus cum tanto fecit seruo- re, non suæ, sed tua voluntatis causa. Attende item: quam multas horas expenderint sancti in hoc seruenti exercitio, ob ingentem eius stimulacionem. Nec solùm præcedentes respicias sanctos, sed etiam multos presentes qui, dum tu in choro, aut in cella es totus distractus: illi sunt quidem corpori in eo loco, sed corde sunt in cœlo. Excitent igitur te hæc exempla, vt tuas cogitationes recolligas, dum oras; saltē ob tuum propriū emolumentū: &

2.
c Lue. 18.13.

d 3. Re. 19.13.

3.
e Ierem. 48.10.

4.
f Psa 103.7.

5.
g Matth. 26.40.

6.
h Lue. 6.12.

7.
i Matt. 17.1.

k. Lue. 22.43.

8.

ut cœlestibus delitijs fruaris: quibus præcedentes Sancti, & nunc etiam seruantes tui socij fruuntur. Posito enim tibi esse orandum, magna prudenter est conati talem oratiogem habere, ut obtinere possis centupla, quod in illa communicat Deus. Labore etiam, quem initio orationis adhibueris ad te recolligendum, obtinebis ad eius finem magnam refectionem spiritus. Propterea enim dixit Salomon: *I Melior est finis orationis, quam principium.* Quod si miserum est, non euadere hominem peritum eius scientie; autatis, cui dat operam: quanto erit maior miseria, quod quis à Deo ad hanc artem & scientiam scientiarum, ad orationem scilicet, & familiaritatem cum Deo vocatus: sit tamen semper quasi Tyro, ed quod non bene recolligetur suum? Quod si initio tuæ conuersationis Deus hoc te affecit beneficio, ut essem in oratione collectus ac deuotus: maior miseria est, quod tuā culpâ tanto bono sis priuatus: quemadmodum illi, de quibus S. Augustinus, quod primis diebus orent feruenter; deinde, tepidè; postea, frigidè: ac denique negligenter. Denique ad hoc studium & solitudinem impellere te debet, quod videas maximam attentionem & conatum: quo Dæmones impedit te & tetrahere ab oratione contendunt. Est autem iustum, & æquum, te esse prudentem sicut serpentes: ut quemadmodum ipsi inuigilant ad te effundent ac distraherent: ita tu omnem adhibeas diligentiam, ut mente tua collectam & stabilem serues. Decem his rationibus persuadere tibi debes, quanti sit momenti haec mentis recollectio; & omnino credere, quod tempus effundere, sit te odire, recolligere autem, sit te amare. Id enim significavit Salomon, dicens: *m Qui possessor est mentis, diligit animam suam: plurima enim bona sibi comparat, qui potestatem ac dominium super suas potentias habet.* Contrà vero anima dissoluta semper esuriet. Non enim vitam cibum. Et in cor fatui est quasi vas contractum, & omnem sapientiam non retinebit.

*E*x Qv o fiet, vt si fueris prudens, ita exerceas reliqua tui statutis opera, ut cor tuum semper maneat integrum, non diuisum; & tuatum cogitationum Dominium retineat, vt eas applicet ad familiaritatem cum Deo habendam, statim atque constituta hora imminet, dimissis alijs omnibus occupationibus: ut huic familiaritati tetotum tradas. Eum in modum, quo Maria, et si occupata esset cum multis, qui venerant ad ipsi condolendum ob morte fratris; statim tamen atq; soror Martha ei dixit: *o Magister adegit & vocat te illa surrexit cito & hospitibus relicitis, venit ad Iesum, & cecidit ad pedes eius.* Quare et si valde sis cum hominibus occupatus, debes eos dimittere (præcipue cum tales occupationes tantum sunt ob ciuiles mores) vt ad tuam orationem, ad chorum, & reliqua spiritualia exercitia, in eo momento te conferas, quo Deus te vocat: siue id fiat signo campanæ, siue à Religioso ad id constituo; aut interna inspiratione, que te ad id faciendum mouet efficaciter.

citer. Nec vacat mysterio, quod Martha sollicita & turbata erga plurima vocet Mariam, ut accedat ad pedes Christi, significat enim, quod ipsam occupationes nos prouocent, ut ipsis ad tempus relictis, accedamus ad agendum cum Domino nostro: nam ipsius occupationi valde expedit auxilium, quod ab ipsa oratione ei accedit. In eo quoque aliquid latet mysterij, quod hospites, qui Mariam occupabant, videntes, eam, ipsis relictis, abire ad Christum, secuti sunt eam: quia tamen, nulla illorum ratione habita, cum peruenit ad Christum, ad eius se pedes prostrauit. Naturale est enim, ut cum desiris occupationes, orationis habenda causa, illae etiam te sequatur, & occupent memoriam tuam; ita ut vix euadere possis earum importunitatem. Debes igitur viriliter eas fugere, & nihil eas faciens, projicere te qua potius quiesce ad pedes Dei tui, cui tuas proponas necessitates. Quod si adhuc fuerint importunæ, ut non pergas in oratione: non debes feruorem relaxare; sed eatum potius importunitate prouocari, ad clamandum maiori feruore ad Deum, ut tibi subueniat. Eum in modum, quo sacrum Euangeliū ait de quodam cæco clamante ad Christum transeuntem: p. Fili David miserere mei. Et quānis qui prebant increparēt eum, ut taceret. Ipse verò multo magis clamabat: Fili David, miserere mei. donec ipse Iesus iussit, illum adducat ad se, fecitque eum sui voti compotem. Quemadmodum autem cæcus ille non voluit disputare cum illis, nec audire eos, qui ei dicebant, ut taceret; sed nihil eis respondens, vocem magis extollebat: ita non debes cum tuis cogitationibus & importunis imaginationibus disputare; sed, illis prætermisssis & contempnis, orationis tuae filum continuare: ex earum importunitate occasionem accipiens ad orationis feruorem magis augendum. Nunquam enim cogitationum agmē tibi nocebit, etiam si tanquam quæ musca accedant ad perpendendam suavitatem tñngenti fragrantissimi, ac preciosissimi deuotionis: si eas semper abigas, nec pacem ullam ita cum eis ineas; ut aduertens eas patiaris in corde tuo hærere. Quod si eis resistendo, perseueres: Deus laborem tuum remunerabit: r. abscondens te in abscondito faciei sue. quod non peruenit conturbatio hominum. Et proteget te in tabernaculo suo a contradictione linguarum: quia earum murmur non inuenit ibi aditum. Opus enim est eius omnipotentiae ac misericordiae, præsentiam suam & amicam iucundamque faciem orantibus ostendere; dans eis tantam quietem, ut nihil tunc eos perturbet. Et huc fauorem exhibere solet Religiosis: qui, ut ipsi cum quiete seruirent, mundi strepitum reliquerunt: modò tamen ipsi, quantum in se est, abscondant se ad orandum eum in modum, quem Christus Dominus noster insinuauit, cùm dixit: s. cùm oraueris, intra in cubiculum tuum, & clauso ostio, ora Patrem tuum in obsecrando, quod aiunt SS. Patres fieri posse, siue in cella, siue in choro, siue in campo: modò tuū ingrediaris cor, tuorumq; sensuū ostia claudas; ac solum

p. Luc. 18, 38

q. Ecc. 10, 1.

r. Psal. 30, 21

C. Matth. 6, 6
SS. Hilar.
Canzi. 5, 1n
Marti. Aug.
concio 2. in
Pf. 13. Am
bro. 6. de

respicias Deū tecū ibi p̄sente. Cū eo loquere, tuasq; propone necessitates
supplex orans, vt abscondat te intra se, ne quid accedat, quod te perturberet.

§. 2. *Alia devotionis exercitia.*

EADEM QVIAS & recollectio procuranda etiam est in reliquis vite
contemplatiæ exercitijs, que comitantur & fount ipsam orationem,
suntq; valde propria Religiosorum sequentium partem Mariae, de qua
dicitur, quod a sedens fecus pedes Domini audiebat verbum illius. Id quod dicit
S. Thoma varijs perficitur exercitijs. Primum est audire conciones aut ex-
hortationes spirituales, quæ sunt de more in Religionibus, accommodate
ipsis Religiosis. Quemadmodum enim Christus D.N. duobus condonum
generibus vtebatur; alijs toti plebi communibus, quibus & ipsi Apostoli
fruebantur; alijs vero specialibus ad solos discipulos spectantibus, in quibus
ea docebat, quæ ad iplos spectabant; vt videre licet in prolixo illo sermone,
quem habuit in cænaculo: quo eos est consolatus, animavit, ac docuit quæ
pertinebant ad b. mutuam inter se dilectionē, ad custodiam mandatorum suorum,
ad fiduciam, & frequentiam orationis, aliaq; valde perfecta. Ita etiam
præter publicas conciones, quæ ad populum Christianum habentur in Ec-
clesijs, refert plurimum, esse alias magis particulare pro solis Religiosis, si-
ue viris siue fæminis: quibus stimulentur ad proprij status perfectionem;
& nominatim ad eam, quam Christus Dominus noster in prædicto post ce-
nam sermone commendauit. Et huiusmodi exhortationes ita sunt audiendæ,
quasi ipsemet Christus eas haberet. Ipse enim ad cor loqui solet verba,
quæ aure percipiuntur; & seminat semen suum in terra bene culta, vt fructu
proferat centuplum; proficiendo quotidie in ea perfectione, quæ profitebor.

Ad idem exercitium spectat etiam familiaris cum Prælati, aut Confessa-
rijs, aut spiritualibus Partibus collatio & communicatio: quæ uterior esse lo-
let; & quasi gradus quidam ad familiaritatē cum ipso Deo. Nam (vt S. Greg-
orius) generales sermones & exhortationes, quæ habentur ad multos simul, non
semper sunt adeò accommodatae necessitati cuiusque: sicut illa, quæ fit priu-
atim ab eo, cui talis necessitas est nota, suamq; exhortationem dirigit ad sub-
ueniendum ei. Quamobrem Christus Dominus noster non solum prædi-
cabat in Sybagogis, in montibus alijsq; publicis locis; sed accedebat etiam
interdum ad particulares domos, vbi documenta & consilia tradebat valde
proportionata eorū necessitatē. Et ipse Apostolus fatetur, se c. docuisse publice
& per domos, nocte ac die, & monuisse unumquemq; prout cuiq; expediebat. Hu-
iustmodi, particularis instrucción est, quæ procul dubio maximè prodest ad
vitia ex radice curanda, & virtutes eius statū proprias inferendas. Ex quo
apparet ingens Religiosorū bonū: vt qui intra domū suā medicum habeat,
qui eis medeatur; Magistrum, qui doceat; Consiliarium, qui consulat, Con-

fessarium,

v. Lk. 10. 39.

I.

2. 2. q. 280. 4

3. ad 4.

b. Ioh. 13. 34

2.

3. patr. Paf.

c. 1.

Act. 20.

31.

fessarium, qui eorum peccata audiat, & ab eis absoluat; & spiritualem Patrem, a quo in ijs suis exercitijs dirigantur. Et quod sacerdotes ex domibus suis ad Religionem accedunt, in qua sunt viri eminentes ad hanc officia praestanda, ut cum eis de suis necessitatibus agant: id inquam Religiosi habent intra suas portas, & ad manum. Semper enim & in Ongulis Conuentibus haberet prouidentia Divina aliquem, vel aliquos: qui Duces aliorum esse possint, cum illorum magno solatio. Eset autem valde dolendum: si domestici non vterentur bono, quod exterrit apud ipsos querunt, & iuueniunt. Quibus aptatur quod Saluator noster dixit suis ciuibus in Nazareth: *d multos leprosos fuisse in Israël sub Eliseo Propheta & neminem eorum mundatum esse: quia nemo ad eum accessit nisi Naaman Syrus, qui a remotis Syriae partibus venit, ut sanitatem peteret, quam obtinuit. Ita vos non vultis fructum ex mea doctrina capere: quem homines reliquarum ciuitatum cum magno suo commodo accipiunt. Agnoscat igitur Religiosus bonus, quod intra suam domum habet; audiaturque cum spiritu doctrinae Patris, & Magistri, quem Deus illi assignavit; & confidat Sapientiae diuinaz: quod per eos docebit ipsum, quod magis ei expediet, ut perfectus euadatur.*

d Lxx. 4. 27

3.

ALIVD spirituale exercitium, in quo etiam auditur verbum Dei, est lectio sacerdotum ac piorum librorum: quae etiam est valde propria Religiosorum: *equumque est, eos habere destinatum tempus ad eam, sicut ad orationem. Iuxta sententiam n. Sanctorum: quemadmodum in oratione nos cum Deo colloquimur: ita in lectione Deus loquitur nobiscum: & quod liber omnibus dicit, sensim applicat & accommodat internè ei; qui, ut oportet, ipsum legit. Et quemadmodum valde periti & erudit viri quotidie aliquid legunt in libris suarum facultatum; ut vel aliquid discant, vel memoriam renouent eorum, quae didicerunt: ita & multo amplius perfectionis studiosi debent quotidie in libris spiritualibus legere. Et quamvis id non faciant, ut veritates alias nouas addiscant: conferet tamē lectio illa ad nouas illustrationes, noua sensa, affectus virtutum, nouam famam ac sicut rerum aeternarum à Deo obtainenda. Meminerit Religiosus, quod hoc ipsum nomen moneret, quantam huius exercitij curam habere debeat. Nam (ut S. Isidorus ait) illud nomen deducitur a telegedo: quia (ut explicat S. Thomas) frequenter debet legere, & in corde suo ea evoluere, quae ad cultum Dei & propriam statum sui perfectionem pertinent. Legat igitur primum in libris; & postea, quae legerit, ruminet ac meditatione digerat; & ipsa imitatione in cor & viscera sua immittat.*

VENIAMVS ad alia exercitia circa Sanctissimum altaris Sacramentum: quod est supremus devotionis ac perfectionis fons; quā tribus vijs cōmunicat: per ipsam sc. sacrā cōmunionem, per Sanctissimū Missæ Sacrificium, & per visitationes, quae fiūt in ipso Ecclesia: cūm nos in eius cōspectu collocamus. In omnibus aut̄ his modis preferuntur ceteris Religiosi; etiā nō Sacer-

D. Aug. in
Psal. 45.
D. Isid. lib. 3
de summo
4.1.
S. Bon. ser.
4.2. ad sororem

L. 10. Ethic.
mol. c. 17.
2.2 q. 31. a. 1

4.

dotes:

dotes: et quod supradicta hunc Dominum habeant hospitium, & continuum habitatores intra domos suas: ut non sit eis opus, sicut secularibus, ex propriis dominibus exire, ut ad tempora se conferant. Ideoque Religiosi possunt faciliter sacrarum Missarum quotidie audire; & saepius in die visitare, & orationem suam coram Sanctissimo Sacramento habere, & diutius in Ecclesia harrere, ac frequenter, quam secularares, communicare: castitas enim & eius statutus perfectio ad id inuitat; ut expresse S. Dyonisius docuit, dicens: monachis dati consueuisse sacram Communionem in ipso suo ingressu: ut intellegent alio, quia sanctus Populus, modo, ad Communione Diuinam participationem se admittendos hoc est, quod debeant frequentius communicare, quam iusti Secularares. Si enim adeo fuit fortunata domus Zachaei, propter unicum Christi Domini nostri in eam ingressum: & castellum Bethaniæ, domusque Marthæ & Mariae, ob frequentem ad eam accessum eiusdem Domini: quanto felicior erit domus Religiosorum, ad quam idem Dominus quotidie ingreditur; & continuè in ea habitat cum eadem charitate, & omnipotencia, qua ad illa loca accedebat? O quam aperte Religioni accommodatur, quod sit domus Zachaei: quod significat iustificatum, iustum aut purum: est siquidem domus animarum iustarum, mundarum ac iustificatarum per diuinum huius Sacramenti presentiam: cuius virtute et salus huic domui facta est, & habitantibus in ea, qui ipsum honorant, & venerantur, eiusque regia presentia fruuntur. f Beatus inquit Scriptura diuina, homo qui audit me, & qui vigilat ad fines meas quotidie, & obseruat ad postes ostii mei. Qui me inuenierit, inueniet vitam, & haeret salmam a Domino. Quomodo igitur non erit beatus Religiosus, qui potest quotidie vigilare in ipsa domo, in qua Sapientia incarnata habitat: licet velo Sacramenti testa: Nam vere, qui viua fide eam visitat, & inuenit, eiusque presentia fruatur: inuenit vitam & salutem spiritualem, fitque omniu[m] suorum votorum copos. Gaudeat igitur Religiosus, bonaque sorte, quae ei obtigit, fruatur tribus illis modis, quibus sanctissimum Sacramentum dona sua communicat. De hoc. n. iustitia Sole intelligitur, quod dixit Ecclesiasticus: g tripliciter Sole luxuriantes monies, radios igneos ex sufflans, & fulgens raditissimis, obcaket oculos. Montes sunt Religiosi ob sanctitatis celitudinem, quam profertur: hos exiret Sol iustitiae radiis accensi sui amoris tripliciter: nunc per ipsam Communione: cu[m] eam suscipiunt; nunc per sacrarum Missarum: cu[m] eam audiunt; nunc per orationem: cum ipsum Sacramentum visitat, & in eius presentia se constituant; quod licet testum nube specierum Sacramentalium: tantum tamen ex se emitit splendorum & festibus suis illustrationibus, ut intellectus obumbret, & oculos curiosos obcaket: ut scelus dedat & subiiciant, credentes eius diuinis mysterijs.

SUPEREST adhuc exercitiū aliud spirituale valde utile: Examen sc. conscientiae quotidianum: est. n. hic modus quidam practicæ orationis: cuius finis est cogitatio

C. 6. de Eccl.
Hierat. p. 3.

S. Hieron. de
nomi. Hebr.
in Matth.

c Lue. 19. 9.
f Proph. 8. 34

g Eccl. 12. 4

f.

cognitio suipius, suarumq; culparum & imperfectionum; vt altius in humilitate fundetur, & cordis puritate obtineat, vt se ad Confessionem præparet, & admissos defectus emendet, & in futurum abstingat, & in suo profectu spirituali vterius progrediatur. Et sic exēctioni mandatur, quod faciebat David: *h meditatus sum nocte cum corde meo, & exercitabar & scopebam spiritum meum.* Hæc enim meditatio non sicut in inueniendis peccatis, sed cor ipsum extimulat, ad sentiendum dolorem ac detestationem eorum, & ad purgandum spiritum: ei ciendo ex eo huiusmodi fordes, vt ita mundus remaneat. Quod si ad sit ad culpam aliquam valde addictus affectus, vt solet ærugo ferro adhaerere: alia lectio habet: *limabam spiritum meum:* ideoque talem affectum limare debet, & à suo spiritu euellere, exhibita lima mortificationis: ne nouas iterum culpas eructet. Hic orationis modus est accommodatus tempori vespertino, finitis scilicet totius diei actionibus. Quamuis maioris esset perfectionis, si adhiberetur ad finem actionum præcipuarum: quasi illas reuidendo, vt defectus in eis admissi facilius deprehendantur. Aut saltem bis, aut ter in die, ad maiorem puritatem consequendam. Sed quoniam pro his omnibus exercitijs alibi tradidimus documenta magis particularia: ibi licebit Religioso Lectori ea videre, si cupiat utiliter ea peragere.

CAP V T XVI.

PERFECTIO RELIGIOSORVM IN CORRIGENDIS aliorum defectibus, & acceptanda suorum correptione.

MEDIORVM, QVÆ RELIGIO, AD SVI CONSERVATIONEM, & filiorum suorum perfectionem obtainendam, habet; illud est visitatissimum, valdeque necessarium: correctionis scilicet, ad reparandas & præueniendas culpas ac defectus contra votorum ac Regularum obseruantiam, de quibus haec tenus egimus. Quamuis autem de hoc medio fusiū actum sit in Tomis præcedentibus, eò quod omnibus Christianis cuiusvis status commune sit: nunc tamen id præponeamus, quod est Religionum, magis proprium: in quibus ordinariè sunt constitutæ Leges ac Regulæ obseruandæ in ipsa correctione, & punitione defectuum: eò quod, attenta humana imbecillitate, illa sit valde necessaria: cùm Sapiens dixerit: *a Septies in die cadit insensus;* Et S. Iacobus Apostolus dixit: *b in multis offendimus omnes,* Sed quoniam huiusmodi Regule, & consuetudines pro varietate Religionum, variae sunt ac diuersæ: operæ pretium erit vnam quandam hic ponere ex ipso Sacro Euangelio desumptam: in qua minimū debent omnes conuenire, & ex eadem deduci poterunt particularia, quæ ad singulas Religiones pertinēt. Ita igitur Christus Dominus: *c si peccauerit in te frater tuus, vade, & corripe eum inter te, & ipsum solum;* si te audierit,

Oooo 3

lucratus

Toms 1. str. 3
c. 9. & Te 1.
str. 3. c. 3.
ac sequ. &
Tract. 4. c. 6

a Pro. 24. 16
b Iac 5. 2.

c Mar. 18. 15